



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Fames, quâ domantur multi, non more canum patienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

fiduciam erga Patrem cælestem, ad pœnitentiam, vitæque malè actæ seriam emendationem; ad humanæ miseræ notitiam, experientiamque; nec non ad opera misericordiæ & charitatis erga indigentes exercendæ. Denique ad calamitates in Inferno extituras impendio meditandas. Ita fames & cos est ingenij, & mater pariterque proles abstinentiæ; & pretium cibi; & sanitas membrorum; & virga summi Pastoris oues suas in viam reuocantis; etiam occasio fidei, fiduciæque & spei nostræ in Deum excitatio; & stimulus atque incitamentum charitatis; denique omnium virtutum vel occasio, vel magistra. Quæ paulò adhuc impensius commonstranda sunt; præsertim de fame, extra naturæ modum ordinemque, è vero morbo, aut per sterilitatem, hostiæ inducta.

Quòd si ergo interdum fames humanum genus durius infestat, non imitandi sunt illi, de quibus dicitur: *famem patientur, ut canes, & circuibunt ciuitatem*, latrantes: nam *ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum*: quo diuinæ providentiæ iugulum petentes, dicent: *quoniam, quis audiuit, scilicet nos panem flagitantes? Et tu, Domine, deridebis eos*, quia famem, non vt homines animo æquo, sed vt canes, sine ratione, patiuntur. Apud homines mente præditos, clarum est, famem, vel tamquam pœnã, vel tamquam medicinã à Deo immitti, qui facit, quod homines faciunt, equum effrænem, aut accipitrem, falconemque in aucupia domare cupientes. Qui enim refractarium sentit caballum, auenam illi subducit, cuius abundantia animaduertit, eum ferocire. Accipitrem etiam, qui volunt cicurare, captum insomnia inediaque fatigant; somni ademptio mitem reddit, priuatio cibi, appetentem atque ad manum aucupis escam ostentantis aduolantem. Cùm igitur sagina & saturitas panis etiam homines faciat insolentes, inediã domandi sunt.

Fieri mortales intemperanter pastos, minùs ad Dei obsequium idoneos, immò insolescere, & vitulari, ostendit Moyses, Exod. 32. 6. cùm scripsit: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; nempe quando circa vitulum saltitauit, more vitulorum, aliaque multa indigna fecit. Quid Sodomitis nefandius? *Ecce* Ezech 16. 49. *hac fuit iniquitas Sodome sororis tue, superbia, saturitas panis & abundantia*

II.

Psal. 58. 7.

III.

Exod. 32. 6.

Ezech 16. 49.